







11

12

13

14

15

16

17

19.

18

19.

11<sup>o</sup>-c Antonii, Iac. Frideric. : De locis libris Defensionis in  
bello Defensio. 3 tract. 1706-1749. 3 tract.

12<sup>o</sup>-c Antonii, Iac. Frideric. : Problema iuridicum, erat  
quatenus affectus humani in foro considerantur 3 tract.  
1706, 1736 et 1747

13<sup>o</sup>-c Antonii, Iac. Frid: De intercessione innocentium 2 tract.

14. Schneider, Iac. Frid: De promotionibus post saltuum

15. Schneider, Iac. Frid: De successione legitimatorum in  
feudis

16. Stahlius, Georg. Mueller, med. Fac. et prof. phil. ord., loc:  
De testimoniis medicis. (et de portatione mag. Johannis  
Burchardi intent.)

17<sup>o</sup>-c Strykow, Jo. Samuel: De translocatione ministerium  
ecclesiae.

17<sup>o</sup>-c Strykow, Jo. Samuel: De translocatione ministerium  
ecclesiae. Ed. 2. 1743.

18<sup>o</sup>-c Strykow, Jo. Samuel: De notorio 2 tract.

19. Strykow, Jo. Samuel: De appellatione cum suspicione  
possessorio summummodi.

26. May 1811, Dr. Samuel: Tunc quod iuramentum circa  
Inventaria judicalia





Pr. 3. num. 23.

11  
DISSERTATIO JURIS NATURÆ  
DE 1706 NOV 5  
**LIMITIBUS DEFENSIONIS IN BELLO DEFENSIVO,**

Quam

DEO TERR. O. M. AENVENTE  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DN. PHILIPPO VVILHELMO,  
PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE BRANDENB.  
DVCATVS MAGDEB. GUBERNATORE, CETERA,  
IN ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA

PRÆSIDE

**JACOBÓ FRIDERICO  
LUDOVICI,**

J. U. D. PROF. JUR. & FACULT. JURIDICÆ  
ADSESSORE,

*Ad d. XXII. Jun. MDCCVI. H. L. Q. C.*

Placido Eruditorum examini submittit



AVTOR

**JOHANNES ERNESTUS MEVES,  
GEDANENSIS.**

TYPIS CHRISTOPH. ANDREAE ZEITLERI, ACAC. TYPOGR.

16.



DISSSERTATIO IURIS NATVRÆ  
De  
LIMITIBVS DEFENSIONIS IN  
BELLO DEFENSIVO.

CONTENTA TOTIVS DISSERTAT.

**I**ngressus §. I. Belli definitio & divisiones §. II. Bellum gerere licet §. III.  
Exceditur vero communiter circa modum bellii gerendi §. IV. Ex gom-  
deramen aliquod adhibendum. De Diffrerio: hosti in hostem omnia lice-  
re §. V. & VI. Requisita iusti moderaminis §. VII. Differentia inter bel-  
lum defensivum publicum & defensionem privatam in statu Reipublice  
§. IX. De causa bellii defensivi justa §. IX. De tempore, quo defensio bel-  
lica initium sumat §. X. An & que sufficienes sufficiant ad suscipien-  
dam defensionem §. XL & XII. Quousque Princeps Iesus erga la-  
denter salva iustitia & humanitate progreedi possit? §. XIII. Ladent-  
tem etiam in suis ditionibus prosequi & ad omnem satisfactionem adi-  
gere permisum §. XIV. Quenam ex humanitate praeceptis hic ob-  
servanda §. XV. De modo bellii defensivi §. XVI. Stratagemata  
adhibere licita §. XVII. De distinctione inter modos licitos & illi-  
citos §. XIX. De Venenis & percussoribus §. XIX. Quid adversus  
hostem devictum ac captum liceat? §. XX. Quid aversus ejus sub-  
ditos? §. XXI. Subditi Principis facta licita praestant §. XXII. Aliud  
in illicitis §. XXIII. Distinguuntur inter subditos simpliciter Principi  
subjectos & inter eos, qui Principi imperium sub certis pactis & condi-  
tionibus detulerunt §. XXIV. Subditis parendum, si Princeps leges  
fundamentales transgreditur §. XXV. An talio locum habeat adver-  
sus Principis subditos, qui in nostros captivos savitiam exerceat §. XXVI.  
De Devastatione agrorum, qui ad hostis subditos pertinent §. XXVII.  
An Victor res occupatas indistincte pro sua satisfactione retinere pos-  
sit? §. XXIX. De moderamine intuitu Neutralium Civitatum obser-  
vando §. XXIX. Quod exemplis & diversis casibus illustratur §. XXX.  
& XXXL Quomodo Iesus adversus ladentem se gerere debeat, si  
hunc lesionis sue paniteat. Tres casus discernuntur §. XXXII. La-  
sus iustum satisfactionem oblatam recusans jam pro ladente habendus  
§. XXXIII. Conclusio dissertationis §. XXXIV.

A 2

§. I. Actu-

A DISSERT. DE LIMITIBVS DEFENSIONIS

§. I.



Cturus de limitibus defensionis, quos in bello defensivo observandos censemus, necesse erit, ut in anteceßum voces, quæ in rubrica occurrunt, exponamus, quo deinde melius intelligatur, quidnam per limites istos, de quibus nobis sermo erit, indigitemus.

§. II.

Bellum, ut hinc incipiamus, ut omnibus non idem significat, ita diverse definitur & dividitur. Nos cum Pufendorffio optime definiemus per statum, injurias violentas mutuo inferentium & propullantium, aut que sibi debentur vi extorquere nitentium, Pufend. de J. N. & G. I. i. c. 1. §. 8. Belli quoque multæ dantur divisiones, quarum, hac vice saltem principaliores, quæ ad nostrum scopum, pertinent, attingemus. Inter haec fere primaria est divisione in bellum *justum* & *inustum*. Tale autem dicitur tripliciter 1. respectu *causæ*, Grotius de J. B. & P. I. II. c. 1. §. 9. 2. ratione *modi* quo geritur. 3. ratione *intentionis*, si equidem causa justa bellandi adsit, sed non propter hanc causam bellum geratur, verum ut praetextus tantum adhibetur, fines imperii dilatandi. Secundo huc pertinet divisione in bellum *publicum* & *privatum*. Illud est, quod geritur autore eo vel iis, qui sumiam potestatem in civitate habent; hoc privatus in privatum gerit, sive vivant in civitate aliqua, sive extra civitatem in libertate naturali, quamvis haec concertatio, quæ sit inter eos, qui sub imperio civili constituti sunt, usu hodierno improprie bellum appellatur. Tertio denique huc spectat distinctio belli in *offensivum*

### IN BELLO DEFENSIVO.

*fensivum*, quod eorum, quæ nobis debentur & denegantur vindicandi, vel injuste erectorum recuperandi gratia geritur, & *defensivum*, quo ea, quæ nostra sunt, contra injustam aliorum invasionem tuemur & defendimus.

#### §. III.

Bellum autem se suaque defendendi causa juste suscipi, eruditu jam dudum abunde probarunt, & ipse instinctus naturalis, quo quælibet res ad sui conservationem tendit, satis superque evincit quod ubi aliorum malitia me pacifice vivere aut res meas indemnes habere non finit, insultos aliorum insultus vi repellere, & quæ ad securitatem meam faciunt media, etiam violentia, adhibere queam. Interim nemini ignotum esse poterit, quantopere hic à bellicerantibus peccetur. Quamvis enim quilibet se sua defendendi, aut illatæ injuria persequendi causa bellare prætendat, revera tamen tot hominum sanguinem cupiditatim, alicujus gloriae acquirendæ aut imperii augendi, immolant.

#### §. IV.

Modus vero bellum gerendi si accuratius examinetur, omnia videbimus adhiberi media fine discrimine, aut ullo moderamine pro ratione belli, quam fibi perperam fingunt. Nec cognationis, juris, æquitatis, humanitatis, religionis rationem haberi, adeoque bellum e justa causa susceptum, modo & intentione injustum evadere, cum talia adhibeantur media, quæ vel plane nihil ad finem faciunt, vel aliis lenioribus minusque noxiis æque obtineri potuissent.

#### §. V.

Itaque ne justa defensio, dum æquitatis & humanitatis temperamentum transgreditur, in summam transeat injuriam, moderamen inculpatæ tutelæ accurate observan-

6 DISSERT. DE LIMITIBVS DEFENSIONIS  
dum est. Intelligimus autem per hocce moderamen, le-  
gitimum offensioni proportionatum defensionis modum,  
de quo antequam pluribus agere aggredimur, prius aliquod  
dubium removebimus. Magnopere enim nostræ senten-  
tiæ adversatur, si ita crude accipiatur eorum doctrina, qui  
dicunt hosti in hostem omnia licere, & Ieso in lèdentem  
competere jus in infinitum. Quod si verum, frustra sol-  
liciti sumus de moderatione hoc afferendo, cum potius ini-  
qvum, ejusmodi quid justis præsertim armis præscribere  
velle.

### §. VI.

Equidem id certum est, quod is, qui alterum injuste  
invadit, & noxam inferre intendit, omnia humanitatis c-  
mercia vinculumque socialitatis cum ipso abrumpat, & sic  
nullum jus habeat humanitatem & moderationem à laço  
postulandi, nec alterum, si moderaminis limites excedat,  
injustitiae accusare possit: Attamen id quoque consideran-  
dum, hostem multa sine injuria pati, quæ ipsi salva huma-  
nitate inferri nequeunt; & sicuti varia politica rationes  
svadent, ne Iesus summo rigore, sed lenitate potius adver-  
sus lèdentem utatur, ita suis subditis atque amicis, addo &  
hostis subditis præstandum habet, ut jus suum cum mini-  
mo illorum incommodo persequatur, ne innocentes alie-  
nam culpam iuant. Conferatur Pufend. de J. N. & G. I. VIII  
c. VI. §. 2. circa finem, quod infra latius deducetur §.  
XXI. seqq.

### §. VII.

Jam proprius ad institutum nostrum accendum &  
adhibita distinctione personarum causarumque hac de re  
agendum erit; deinde enim constabit sibi moderamen-  
adhibendum & in quibus illud constat. Vulgo a Docto-  
ribus

IN BELLO DEFENSIVO.

ribus (videri poterunt, qui de hac materia ad l. 3. ff. de *justitia & jure*. l. 4. & 45. §. 4. ff. ad L. Aquiliam commentarii sunt) tria præcipue requiruntur, nempe *justa causa, justus modus, legitimum tempus*.

§. VIII.

Hic autem probe notanda est differentia, quæ intercedit inter bellum defensivum publicum, & defensionem privatam eorum, qui imperio civili subjecti sunt, quæ si minus accurate distingvantur, hæc materia perspicue proponi non poterit. Etenim a privatis non iuste institutur defensio, ubi tempus adhuc permittit judicis officium implorare, nec locum habet, nisi ut præsens periculum, quod invasor mihi jam inferre conatur & quod aliter effugere nequeo, avertam, adeoque ut hoc tuendi duntaxat non etiam ulciscendi causa fiat. l. 45. §. 4. ff. ad legem aquiliam. Ubi vero præsens periculum depulsum, judicem adire & ejus curæ satisfactionem & dentisque coercionem relinquare teneor. Siquidem utilitas publica requirebat, privatae defensionis limites, ulterius non extendere, ne publica civitatis tranquillitas turbaretur. Hæc omnia vero ad publicum bellum applicari nequeunt, cum gentes & Principes in statu naturali vivant nec communem judicem habent, cuius officium pro administrando jure & justitia, nec non decernenda executione implorare possint, ex quo profuit, quod tam arctis cancellis, ut privati quidem, includendi non sint.

§. IX.

Quod nunc *cursam* tanquam primum requisitum belli defensivi publici attinet, qua præcipue totius belli justitia nititur, sine dubio nullum bellum nec offensivum nec defensivum iuste suscipitur, si causa justifica non liquido adest.

8 DISSERT. DE LIMITIBVS DEFENSIONIS

est. Neque putandum, prætensiæ defensionis causa vim armatam semper licite opponi; nam ubi offensio licita, ibi defensio illicita sit necesse est. Sic qui alterum læsit, aut ad quod alteri obligatus est, præstare detrectat; ille certe alteri illatam injuriam vindicanti, aut satisfactionem armis petenti injuste sub prætextu legitimæ defensionis resistet, cum eo casu injuriām injuria potius cumularet. Quandoque etiam solam causam, ut bellum juste geratur, nisi id simul necessitas requiratur, sufficere non puto. Si nimis rūmē levis aliqua injuria illata, aut res parvi momenti corrupta, vel erecta, quæ contemni mereatur & facile reparari possit, tunc pacis amor talia dissimulare jubet, ne communis gentium tranquillitas turbetur, & nostri tot incommōdis, bellum necessario fere comitantibus, non implicantur, qua patientia declinare præstat. Videatur Excell. Dn. Thomalius *introd. ad Ethic. c. 5. §. 66. seqq.* Sic quoque pacis studio contrarium foret, statim post læsionem ad extrema defensionis media pervenire, ubi spes adhuc est, compositione bellum præcaveri posse. Itaque omnino prius, si commode fieri queat, tentandum, an admonitionibus amicorumque interpositionibus, aut aliis remediiis recuperare sua quis possit, quod sicuti humanitatī convenit, ita quilibet pacis & justitiæ amantem hoc facere decet.

§. X.

Ulterius videndum, quo tempore defensio bellica initium sumat. Hac de re ita sentimus. Quamprimum alterum hostili erga nos animo esse, eumque omnia, quæ ad bellum gerendum necessaria sunt, comparare cognoscimus, simulque manifesta habemus indicia, ejusdem intentionem esse, quod tali apparatu noxam nobis inferre velit; tunc certe haud expectare tenemur donec, iste re ipsa damnum

## IN BELLO DEFENSIVO.

9

damnum nobis aliquod intulerit, sed optimo iure hoc molientem in ipso apparatu opprimere possumus, siquidem nemici vitio vertendum, qui invasionem potius avertire, quam hostem in proprios fines recipere mavult; & locum hic invenit vulgatum dipterium: melius esse prævenire, quam præveniri. Nec ideo is pro aggressore habendus erit, quin adhuc in defensionis terminis manet, quamvis prudenti celeritate usus, alterum malam suam intentionem tardius exsequenter præoccupaverit.

## §. XI.

Interim in re tanti momenti nimis suspicionibus minime indulgendum est, ne arma arripiantur, antequam liquidis argumentis de animo alterius constet, alias enim facile, qui nunquam nobis nocendi intentionem habuit, injuste invaderetur. Mala autem intentio non statim ex virium potentia præsumenda, cum iis innocentibus qui uti possit, nec statim nocere vult, qui vires nocendi habet; ast ubi quis viribus nocendi instructus & haud amico erga nos animo se ad bellum parat, non vero constat, quem bello petere decreverit; inde omnino nobis justa metuendi causa nascitur. Unde hac rerum conditione Princeps de securitate sua suorumque sollicitus prudenter milites conscribit, arma cæteraque instrumenta bellica comparat, cives in armis exercet, urbes munit, foedera cum amicis & quorum interest, se non opprimi, facit atque omnia adhibet media, quo in omnem paratus sit eventum: interim tamen talis metus rei adhuc incertæ jus nondum dat vi alterum aggrediendi, cum cogitationes & præsumtiones nostræ nos adhuc fallere possint. Quid ergo consilii? Postulanda erit cautio de non offendendo, v.g. ut ille, à quo nobis metuimus, unum alterumve fortalitium in finibus nostris

B

## 10 DISSERT. DE LIMITIBVS DEFENS.

nostris situm nostro præsidio & custodiae tradat, quale quid Belgæ foederati ante exortum præsens bellum à Duce Andegavensi, aut, si mavis, a Rege Galliæ prætendebant; Quam cautionem si dare recuset alter, eo ipso hostilem erga nos animum satis prodit, ut ulterioris certitudinis causa eventum expectare jam imprudentis esset, unde nobis iplis cautionem parare licet.

## §. XII.

Magnam quoque metus non injusti ansam præbet, si Principem magna potentia instructum vicinos minus potentes non ex alia causa, quam sola ambitione & avaritia, qualibet commoda occasione invadere videmus. Cum enim ita fere fieri soleat, ut is cui primi ausus feliciter succedunt, ad plura audenda facile alliciatur, suspicio exinde valde probabilis oritur, eum hisce oppressis in nos tandem transliturum, nobisque nihil præter beneficium ordinis reflecturum esse. Quanvis igitur, dum nos adhuc pacifice vivere finit, nec certa signa adlunt de voluntate nos etiam opprimendi, ultro hunc aggredi ad futurum periculum, amoliendum quidem non liceat; recte interim & prudenter eo casu foedera cum aliis ineuntur, qui vel jam læsi sunt, vel qui, ne iplis indies augescens potentia gravis aliquando fiat, metuant, quo hoc remedio ille & in debitibus cancellis continetur & meliori successu, si actu eum potentia sua abuti contra foederatos contingat, injusta vis repellatur. Conferatur Pufendorff. de J. N. & G. I. L. c. V. §. 6.

## §. XIII.

Quid si vero jam Princeps aliquis alterius nil tale meritari, nec id exspectantis, ditiones sub vano prætextu (qui nunquam cupienti deerit) invadat ac multa gravia damna hujus ditionibus & subditis inferat, queritur jam: *quamdiu iusta*

IN BELLO DEFENSIVO.

II

*justa defensio duret, & quousque Princeps leſus erga lādentem  
ſalva iuſtitia & humanitate progredi poſſit?* Generaliter &  
paucis totam quæſitionem deſinire poſſimus. Nempe o-  
mais vis hic iuste adhibetur, ſine qua ablata recuperare,  
damni ſeu iuſtriae reparationem & ſatisfactionem confe-  
qui & ad ſecuram pacem pervenire nequimus, ac recte de-  
fensio eouque continuatur, uſque dum ea, de quibus mo-  
do diximus, vel armis, vel transactione conſecuti ſimus.  
Etenim ipſa officii ratio Principem obligat, ut ſuo im-  
perio ſubiectos adverſus alienas iuſtrias tueatur, &  
à danno, quantum in ſe poſitum, immunes präſtet, adeo-  
que intentatam illatamque viam hoſtilem vi rurſus à ſubdi-  
tis depellere debet. Et quamvis etiam hoſtis a finibus ſuis  
jam repulſus fit, nondum tamen arma deponere cogitur,  
ſed jure permifſum, hoſtem in ejus diſtioribus perfequi,  
quoad dāminorum reparationem & iuſtriae ſatisfactionem  
ab eo extorferit, atque cautionem de imposterum non la-  
dendo conſequutus fuerit. Nisi enim hucusque ſine vitio  
progredi liceret, tranquillitati ciuitatum male cautum fo-  
ret, ſiquidem hoſtis licet repulſus reſectis poſt breve tem-  
pus paulisper viribus ſemper reverti majoraque mala  
quam prima vice, inferre poſſet. Adeoque tamdiu ejus  
cervici iuſtendum, donec vires nocendi, quarum fiducia  
talia auiſus fuīt, ipſi ademptae ſint & ciuitas leſa a ſimilibus  
iufultibus magis ſecura eſſe queat.

§. XIV.

In reparatione dānni autem, de qua haec patua ad-  
huc addimus, non ſolummodo ea leſio computanda, pro-  
pter quam bellum ſuceptum eſt, ſed etiam omnia dānnia  
leſi diſtioribus durante bello illata, ut & intereffe, quod in

B 2

quie-

## 12 DISSERT. DE LIMITIEBUS DEFENSIONIS

quieto rerum suarum usu turbatus docere potest, simulque expensæ, quas Iesus in defensionem & extorquendam reparationem fecit, sicuti etiam in civitatibus fieri solet, ut non tantum debitum principale, sed præterea impensæ litis adjudicentur. Quamdiu enim omnia hæc latus nondum consecutus est, dannorum reparationem & satisfactionem habere dici nequit, neque invafor dannorum datorum cum acceptis compensationem prætendere potest, cum ipse Iesus ad eas inferendas sua malitia & pertinacia coegerit. Ambitiosa ergo erat responsio Plenipotentiariorum Regis Gallie in præliminaribus Pacis Riswicensis quoad reparationem damni Imperio illati, b) tressend aber die damage, so wäre soches ein Linglück und desastre des Krieges / & que la gwerre & la compassionne marchotent pas ensemble man müsse erst Paris seien/ ehe n an derg'eichen wieder forder könnte / sie würden nicht das allergeringste ersezzen / v. Friesch. ad Instr. Pac. Riswyc. p. 140.

## §. XV.

Interim hic humanitas jubet, ne Iesus vanæ gloriæ captandæ, aut vindictæ explendæ causa, ad extremum, quo summo rigore poterat, contra invasorem progrediatur. Et certe, ubi invasorem eo redigimus, ut in statum pacis æquis conditionibus nobiscum redire velit, lubentes quid de jure nostro remittamus, quod uti animi magnitudini convenit, quæ nunquam non ab honestis viris laudatur, ita eo ipso simul propriæ securitati consulimus, ne vertente se belli fortuna, cuius eventus semper incerti sunt, plura perdamus & iniquioribus imposterum conditionibus pacem facere compellamus.

## §. XVI.

Dicendum porro erit de modo bellum defensivum gerendi

IN BELLO DEFENSIVO.

13

gerendi adeoque inquirendum, quænam media licite adhibeantur, aut in quibus moderamen observandum sit. Quod igitur modum belli gerendi attinet, nihil sere ad iustitiam facit, quomodo Iæsus defensionem suam expediat, sive enim apertam vim adhibeat, sive insidias struat, sive dolo hostem circumveniat, hosti nullam infert injuriam: Siquidem cujusvis judicio relinquendum, qua ratione melius, aut cum minore suo damno, aut periculo, hostis vires immovere & ad nocendum inhabiliorem eum reddere queat. Itaque stratagematibus uti, aut per simulationem fugæ, vestium, insignium, armorum & similium hostem fallere, prohibitum nullatenus est, cum talia stratagemata prudenter laudem potius mereantur, in primis si minori damno & sanguinis effusione hisce Victoria obtineatur.

§. XVII.

Ne autem quis fecus interpretetur, quod dolum aduersus hostem licite adhiberi diximus, hic nos distinctius explicabimus. Etenim violationem promissionum patitorumque, etiam manente bello cum hoste initotum, (v.g. in induciis, item quando de redemtione vel permutatione captivorum convenitur,) expresse excludimus. Si quidem pacificando aut promittendo novum jus in hostem conferatur, & quoad hoc pactum in statum socialitatis cum hoste redditur (quia sine socialitate pactum esse nequit) à statu vero hostilitatis in tantum receditur atque juri hostilitatis fraudibusque hac in parte renunciatur, unde hisce tunc uti merito nefas erit. Ubi autem pactum vel promissum non adest, hostem dolo licite circumveniri asserimus, cum enim hostem lædere fas sit, is autem non minus circumventione, ac aperta vi lædatur, nullam obstat rationem putamus, quo minus vim, quam dolum ad-

B 3

hibere

14. DISSERT. DE LIMITIBVS DEFENS.

hibere liceat, præsertim cum per stratagemata hostis sa-  
pe absque profusione cruenta sanguinis humani ad justa  
adigi queat & sic multorum innocentium vitæ parcatur.

§. XVIII.

Quantum modos hostem e medio tollendi concer-  
nit, illi communiter in duo genera distingvuntur, quod  
alii habeantur pro *licitis*, alii pro *illicitis*. Illos vocant,  
de quorum permissione nulla iusta dubitandi ratio suppe-  
ditari potest, veluti si hostis in prælio, munimenti de-  
fensione aut oppugnatione interimatur, & siue id data o-  
pera, siue casu contingat nihil interest, operam enim da-  
re, ut hostis interimatur, licere asserimus, cum in morte  
hostis magnum saepè momentum positum sit, ad victori-  
am vel pacem obtinendam. Et injustus invasor hunc  
casum propriæ malitiae imputare debet, dum ipse in facto  
illicito versetur, læsus autem jure suo utatur.

§. XIX.

Ad modos illicitos referunt *venena & percussores*. Ast  
veneno iniustum hostem interficere Juri naturali non  
magis repugnat, quam si ferro interimatur, quamvis mo-  
ribus gentium moratorium pro illicito habeatur, non  
aliam fere ob causam, quam quod vile reputetur, hoc me-  
dio uti, nec generositati convenire censeatur. Percusso-  
res quod attinet, notandum est, iis percussoribus qui nulla  
fide alioque peculiari vinculo ei, adversus quem adhibentur, ob-  
stricti sunt, hostem licite e medio tolli, siquidem jam §.  
16. asseruimus, insidias hosti struere permisum esse. Se-  
cūs vero de iis, qui patrare talia sine perfidia nequeunt sen-  
timus. Et quamvis quidam eruditii horum quoque opera  
licite nos uti asserant, nos tamen distinguentium & negan-  
tium rationibus majus pondus incle existimamus. Sanc-  
tum enim

IN BELLO DEFENSIVO.

13

enim qui alterum ad perfidiam incitat, peccato vacare non potest. Unde etiam in historiarum monumentis talia improbari & qui iis usi sunt, male audire invenimus. Tuttius quoque est, ne eo ipso in nos exemplum statuamus, ubi forte par occasio occurrit, aduersus nos simile quid adhibendi.

§. XX.

Progrederiemur jam *ad hostem devictum ac in læsi potestate redactum*. Dupli:ci autem modo in alterius potestate venit, vel *intercedentibus certis conditionibus*, vel *sine ullo pacto si lo arbitrio victoris se permittere cogitur*. Ubi pacta deditio:ne præcesserunt, dubitare haud fas est, ea stricte adimplenda & fidem datam servandam esse. Sin autem in arbitrio victoris positum, quomodo erga captum Principem se gerere velit, queritur: *an eum ut hostem salvo moderamine occidere posse?* Mores gentium si respiciamus, antiquiores à recentioribus discrepant. Recentioribus enim personæ in eminenti dignitate constitutæ vix occidi solent, sed honestæ custodiæ includuntur, quod etiam humanitati magis congruit, & imperii Majestatem etiam in victo reverenter habendam esse, probè judicatur. Vetustioribus autem temporibus omnes serè Reges captos interemptos fuisse ex historiarum monumentis constat, in specie de Romanis notum, quod Reges aut Duces captivos primum in triumpho populo ostentaverint, deinde enecaverint. Sed hos mores sàpe inhumanos fuisse negari non poterit. Quid enim juvat hosti capto, cui omnes nocendi vires ademptæ sunt, vitam adimere, ob aliam vero rationem quam ne noceat, interficere hostem, non licet. Sin autem securitas & tranquillitas læsi, dum hostis vivit, consistere nequeat, cum nimisrum, qui captivo adhaerunt

16 DİSSERT. DE LIMITIBUS DEFENS.

serunt, vel aperta vi, vel per clandestinas factiones tam multa moliantur, ut eum liberent, & constiterit, hostem libertati restitutum eo magis nobis exitium intentaturum, hoc forte casu interemptio hostis improbanda non erit.

§. XXI.

Postquam hactenus diximus, quomodo moderamen aliquod circa hostem principalem, cuius autoritate & auspicio bellum alteri est illatum, observandum sit; jam de *oīus subditis* dispiciendum erit, in quibus inculpatæ tutelæ limites sèpissime exceduntur. Communi loquendi more subditi bellantium, hostium nomine veniunt, & propter nexum cum imperantibus pro hostibus habentur, quamvis proprie imperantes tantum hostes sint, ut autores belli, nec ille hostis dici mereatur, qui animum hostilem non habet. Itaque merito distinguendum esset inter eos subditos, qui alteri, cum quo bellum geritur, nullam noxam inferunt, & tales, qui sive ex animi inclinatione, sive commodi causa, suum Principem sponte adjuvant. Quo tamen eo melius hæc res intelligatur, inquiremus, prius quantum quidem ad nostrum scopum pertinet, quatenus subditi ex facto Imperantium obligentur quave ratione in societatem delicti Imperantis veniant, quibus expositis facile judicabitur, quomodo moderamen aliquod circa subditos observari debeat.

§. XXII.

Etenim cum summus Imperans totam civitatem representet, quatenus negotia publica ad finem civitatis facientia ipsamque veluti civitatis voluntatem exsequitur, eatenus etiam ex hujus generis Imperantium factis subditi tenentur. Tale exemplum est in Principe, qui debitum  
ad uti.

ad utilitatem civitatis contraxit, nam pro eo singuli subdit*i* ut membra civitatis obstricti sunt. Ideoque creditori, ubi ab ipso Principe solutionem aut aliam satisfactionem impetrare nequit, bona quorumvis subditorum illius civitatis capere, atque ex iis sibi satisfacere licebit. Et quamvis alias quilibet ex debitoris subditis ratam tantum conferre teneatur, quoniam tamen creditori à singulis partem suam exigere nimis molestum foret, hinc urgente necessitate Jure Gentium permisum est, à quibus ipsi maxime commodum, solidum extorquere, siquidem facilius qui ea ratione damnum passi sunt, regresum in propria civitate contra concives suos instituere posse credantur. Et ita quoque se habet in ceteris factis Imperantium licitis, quatenus imperantes ut capita suarum civitatum se gerunt.

## §. XXIII.

Ast in factis *illicitis* Imperantium longe aliter sece res habet. Nam cum nemo ex alterius delicto, nisi de criminis participaverit, teneatur, nec subditi ad delicta Principum, licet per actionem publicam patrata sint, praestanda obligati erunt. Quamvis enim jam semel regimen committendo in omnia, qua Princeps nomine civitatis acturus esset, consenserint, id tamen ad delicta haud extendendum, neque voluntatem suam subditi Imperanti subjecisse censendi sunt, ut hac potestate ad male faciendum abutatur, cum talia facta sine civitatis, i.e. securitatem, potius destruant, quam promoveant. Sic quando Princeps bellum alteri inustum inferret & invasus depulso aggressore in ditiones ejus imperio subiectas transiret eum in finem, quod vindictam à subditis sumere velit, tunc iniquum foret, si Principis malefactum innocentibus subditis

C

impu-

imputare vellet. Conferatur Pufendorff de J. N. & G. Lib.  
VII. c. 2. §. 14.

## §. XXIV.

Circa hanc rem præterea alterum adhuc discrimen bene observari debet. Nimurum cives Imperanti vel absolutè regimen administrandum commiserunt, ut cuncta in civitate proprio ex judicio & voluntate gerere posit, vel certum modum imperium administrandi Legibus fundamentalibus, seu *Capitulationibus*, seu uti ab aliis gentibus vocantur, *pactis conventis*, præscriperunt, simulque consilium (alibi Senatus, alibi Parlamentum dicitur), five perpetuum, five necessitate exigente convocandum constituerunt, quod imperans in negotiis præsertim gravioribus, à quibus totius civitatis salus directo dependet, consulere tenetur, si actionibus suis cives obligatos esse velit. Si jam Rex, qui posteriori modo imperium habet, vicinum Regem bello invadat inconsultis & invitatis iis, quos in consilium prius adhibere pacto suo tenebatur, bellum hocce civitatis nomine illatum censer non poterit, cū hic potestate bellum suo arbitrio, & simul tn. nomine civitatis gerendi destituatur, nec cives ad operas aut sumptus ad tale bellū conferendos adigere possit. Itaq; in iuste faceret bello petitus, si actionem hanc Imperantis in subditis, cum quibus ipsi nullum negotium est, vindicare vellet, his enim debito modo se gerentibus nihil imputari potest, atque sic solus imperans ad satisfactionem læso dandam obstrictus est. Interim tamen id jus ipsi salvum manet, eos qui privatim in bellum consenserunt & se Regi suo aggregaverunt conatusque ipsius spe lucri inde consequendi adjuvando, ne læsus jure suo potiatur impediverunt, bello persequi, quippe qui ea ratione delicti Imperantis se participes faciunt.

## §. XXV.

## §. XXV.

Ex hac tenus dictis sequitur, Iesum circa aggressoris subditos moderamen exceedere, ubi eos sine fine necessitate interficit, bona vastationibus, incendiis, nimiis contributio- num exactionibus eripit, aliisque inhumanitatis generibus in innocentes graffatur. Quod enim interfectionem subditorum hostilium attinet, Iesus neminem ex iis interficiendi jus verum habet, nisi qui ipsi nocent, & juris sui executioni vi resistunt. Et quamvis aliquando contingat, ut etiam innocentes praeter intentionem licite occidantur, sicuti exempli gratia in obsidionibus sepe fieri solet; humanitas tamen postulat, ut etiam hoc casu talibus, qui ob etatem, sexum, imbecillitatem, aut vita genus nihil nocent, aut ad noxam inferendam inhabiles sunt, parcatur, quo referuntur infantes & senes, mulieres, ægroti, literis & sacris operam dantes. Ex his autem iterum eximendi suo merito sunt, qui vel arma induunt, vel consilio aliisque modis dannum hosti inferunt, tunc enim dicto favore indigni habentur.

## §. XXVI.

Interdum evenit, ut alter belligerantium odio hostium nimium in eos, quos in suam redigit potestatem, se- viat, hinc queritur: *An is, in cuius subditos aut milites hanc saevitiam exercet, in saevientis subditos paria statuere juste posse?* Qui id jure fieri putant, ad talionem referunt. Ve- rum quilibet facile videt, nullam hic intercedere posse talionem, quippe quæ tantum eorum intuitu locum ha- bet, qui ipsi saevitiam commiserunt. Nec juvat, quod ali- as regeri solet, hostium unum esse corpus, ut adeo uno peccante omnes de reatu participant; nam haec unitas ultra æquitatem non extendenda est. Si vero ii, qui cru-

C 2

deli-

20 DISSERT. DE LIMITIBVS DEFENSIONIS  
delitatem exercuerint, in potestatē lēsi venirent, hos  
forte meliori jure puniret, si hostium sāvitia coerceri ali-  
ter non posset.

### §. XXVII.

Præter vim in corpus rerum suarum direptiones, cor-  
ruptiones domumque incendia, miseri experiuntur sub-  
diti, aliaque similia, quæ ab omni abhorrent humanitate.  
Et quamvis talia per rationem belli defendantur, quæ scilicet  
hunc procedendi modum ad statum belli felicius & ci-  
tius perficiendum exposcat, (vide que de Gallis adduxi-  
mus §. XIV. in fin.) attamen semper fere hoc vocabulo ab-  
utuntur homines ad obtegendarū irrationabilem licentiam  
suum, cum plerumque non ulli necessitatī, quin potius bel-  
lantia sāvitiae, ducum ac militum avaritiae libidinique,  
atque male militum disciplinæ imputandum sit, tot misé-  
ris modis innocentes oppidanos & paganos vexari. Equi-  
dem non negamus, interdum ejusmodi necessitatem con-  
tingere, ut hostilium subditorum agri vastentur, sata ex-  
trahantur, horrea aliæque res, quæ usum hosti præbere pos-  
sent corruptantur, quo eo melius victoria & finis belli  
obtineatur; Sed tunc saltem improbamus ejusmodi facta,  
quando ea per meram sāvitiam patrantur & plus inno-  
centibus hominibus, quam hosti nocetur, aliisque mediis  
lenioribus æque finis obtineri potuisset. *Æ*quius itaque  
est, quando subditis hostilibus sua libere utenda fruenda  
relinquantur, ea conditione, ut lytrum aliquod seu tribu-  
tum pro incendiis & erectionibus pendant, sic enim in-  
de hierum percipit Iesus, & simul tamen aggressoris sub-  
ditis non tam grave erit, tributum moderatum pendere,  
quam rebus suis carere. Interim quotidiana experientia te-  
statur, quantopere in hisce etiam moderamen excedatur,

cum

cum alii tantum tributum exigant, ut parum intersit, an subditi hoc tributum immoderatum solvant, an rebus suis plane careant. Alii etiam eo inhumanitatis procedunt, ut omnibus rebus vastatis & corruptis adhuc contributio-nes imponant, cum tamen naturalis ratio dicaret, dupli-  
malo neminem afficiendum esse.

## §. XXVIII.

Examinandum adhuc restat: *An Iesus, ubi iusitum aggressorem ex suo regno ejecerit, ut nulla recuperandi spes super sit, vel omnes ulterius resistendi vires ademerit, omnes devicti ditones aliasve res quas in suam rededit potestatem, sine respectu ad quantitatem debiti principalis & subnascentis salvo moderamine retinere queat?* Evidem moribus gentium res expedita est, quippe secundum quos in omni bello solenni, sive ex iusta, sive iusta causa suscepto, omnium rerum hostilium, quotquot fuerint captæ, do-minium in victorem transit, & hosce mores in viridi esse observantia nostra probatione non indiget. Quilibet ta-men facili negotio intelligit, quantopere mores gentium tam in hoc passu, quam in alio, si ad iustitiae regulas ex-minentur, ab omni iustitia recedant. Nos igitur existi-mamus, ultra id, quantum ad satisfactionem & impensa-rum in iustum bellum factarum compensationem sufficit, nec juste quid acquiri, nec salvo moderamine retineri posse. Interim cum in bello non solummodo ad dam-norum reparationem, sed etiam ad securitatem respicere pacis & tranquillitatis cura jubeat, hujus quoque merito habenda erit ratio. Igitur cum hostis, qui ad extremum usque restitit, nec illum in melius mutati animi signum dedit, eo ipso fatis demonstret, 'e odium suum, &c, ubi vires suppeterent, nocendi intentionem erga laesum nou-

C 3

dum

22 DISSERT. DE LIMITIBVS DEFENSIONIS  
dum deposuisse; victor illum merito semper suspectum  
habet, adeoque prudenter omnem pro læsi & lædentis  
conditione adhibet cautionem, ne imposterum rursus ab  
eo ostendi possit. Quapropter si vel hosti devicto dictiones  
suas relinquendas, vel jam amissas restituendas humanitas  
fuerit, victor tamen prius juste postulat, ut loca  
munita demoliantur, vel cum instrumentis bellicis in  
majorem victoris securitatem pacisque pignus tradantur,  
milites vieti exauctorentur sive viatori adscribantur, aliisque  
recte utitur cautionum generibus, quo imposterum  
intuitu hujus hostis, quantum quidem humanarum rerum  
fragilitas & incertitudo finit, securus esse queat.

### §. XXIX.

Paucis adhuc dispiciemus: quidnam moderamen inculpatæ tutelle observari velit erga amicos & eos, qui neutraru[m] sunt partium? Quamvis vero in hos, dummodo neutralitatis officia bene obseruent, nec dolose alteram partem adjuvando se se bello immisceant, jus bellicum nullum habere locum videatur; saepe tamen contingit, ut quædam adversus neutrales occasione belli, quod cum alio defensionis nostræ gratiæ gerimus, suscipiantur, necessitate exigente, quæ alias in se quidem injustissima essent, hac autem existente sin minus justa, certe necessitatibus consideratione excusanda sunt. Interim cum hoc jure, necessitatibus sine necessitate usurpato incommodis inde promanantibus extra bellum positi inique afficerentur; caute hoc jure & ubi necessitas aliter evadi nequit, utendum est. Illi vero, qui vocabulum necessitatis faltem ad colorandas injustas suas actiones in neutrales commissias prætexunt, hujus favore digni hæc censendi sunt. Sed jam

jam pro meliori illustratione unum & alterum exemplum  
aferemus.

## §. XXX.

Primum igitur exemplum hoc esto. Comperit Princeps aliquis, quod alter ipsum aggredi decreverit, & in Principis vicini ditionibus loca quædam ad securum transiit, vel ob alias rationes ipsi commoda, occupaturus sit, quo ad effectum perducto in magnum periculum coniceretur Princeps ille. Quod si igitur certum periculum, non imaginarium adest, queritur: *An jure necessitatibus loca hæc in non hostiis territorio sita metuens occupare possunt?* Si locorum dominum de hostiis moliminiibus prius adverterit, & ut hæc loca majori cura contra hostium invasiones custodiat, postulaverit, dominus autem territorii id vel facere negligat, vel viribus necessariis minus instrutus fit, periculum vero inde metuenti ad tempus suo milite custodieuda tradere reculet; tunc præceptum de alieni abstinentia obstatre haud existinamus, quin hæc loca quovis modo in suam potestatem redigat, eaque ratione præcaveat, ne hostis occupatis iis locis irreparabilia inferat ipsi damna. Simul tamen hoc moderamen observandum esse asserimus, ne ad vim sive hosti, sive territorii domino inferendam abutatur, sed statim simulac periculum transferit, cum omnibus pertinentiis restituat, & si quid corruperit, resarciat, vid. Obrecht. in dissert. de ratione belli c. III. §. 17.

## §. XXXI.

Quandoque etiam necessitas urget, aliis Neutralium rebus contra dominorum voluntatem utendi. Sic contingere solet, ut naves alienæ in portubus amicorum invitis dominis detineantur, & ad milites vel alia bellica instrumen-

strumenta transvehenda adhibeantur, nec non merces aut  
commeatus neutralibus in summa necessitate eripiantur.  
Imo etiam commercia neutralium cum hostibus impedi-  
antur, ut scilicet hostis defectu commerciorum eo citius  
ad angustias redigi possit, qua de re disputatum fuit inter  
Joh. Gröningium & Pufendorfium, v. Gröningii *Naviga-  
tionem liberam*, ejusque *Dissert. Epistol. de Commerciis Paca-  
torum ad belligerantes*. Hæc vero & similia, quæ jam ad-  
ducere studio brevitatis prætermittimus, uti sola necessi-  
tate excufantur, ita extra necessitatē ad concedendum  
rerum suarum usum violentis mediis alios cogere velle,  
injustissimum foret. Imò & in casu necessitatis pretium,  
& merces pro diversitate circumstantiarum veris dominis  
persolvenda est.

## §. XXXII.

Haec tenus disquisivimus, quænam bellum defensivum  
gerenti adversus aggressorem in animo hostili erga lœsum  
pertinaciter persistentem observanda sint; adjiciendum  
adhuc erit, an lœsus ubi lœdens pœnitentia taclus satisfactio-  
nem offert, huius statim veniam dare teneatur, an vero lœdens  
læso veniam denegante aut nimiam cautionem exigente iuste  
resistere possit? Hic distingvendi erunt tres casus. Ni-  
mirum, ubi is, qui in alterum invasionem moliebatur, an-  
tequam illum adhuc bello aggressus est, pœnitentia proposita  
ducitur, & intentionem suam in itatu pacis firmiter cum  
altero permanendi declarat, tunc hic nullam realem cau-  
tionem postulare, aut restitutionem sumptuum, si quos  
jam in defensionis apparatum fecit, leviumque injuriarum,  
quæ jam forte illata fuerunt reparationem, extorquere po-  
terit, sed hæc potius pacis amore dissimulare & nuda of-  
frentis assertione de amicitia firmiter colenda contentus ei-  
se de-

IN BELLO DEFENSIVO.

25

se debet, nisi enim aliæ circumstantiæ prohibeant, credendum est, eum, qui sic sponte ad officium reddit, firmum propositum alterū non lædendi habere. *Ubi vero quis malam intentionem jam ad executionem perduxit*, ut revera alteri non leve damnum illatum sit, & dum ab utraque parte bellum æquo tamen adhuc marte geritur, in statu pacis cum læso redire vult, non satis erit, verbis forte fallacibus pœnitentiam declarare, sed & reparationem damni dati & expensarum, quas læsus in bellum alterius malitia fuscitatum impedit restitutionem, simul quoque sufficientem pro futura læsi securitate & firmæ pacis pignore cautionem offerre aggressor tenebitur. Non tamen læsus hic nimirum rigidus sit, sed amore pacis multa imprimis ratione sumptuum de jure suo remittat, si præsertim alii pro lædente intercedant fidemq; suam ad majorem læsi securitatem interponere parati sunt. Uti hoc belli anceps alea suadet, ita humanitas omnino postulat. Tertio denique, *si aggressor in malignitate sua ad extremum usque perdurat*, ut quamvis jam ex læsi ditionibus repulsus sit, adhuc tamen læso satisfactionem exigenti se omni vi opponat, & rursus noxam inferre intentet, donec tandem à læso vicitus viribusque ulterius resistendi deficientibus veniam petat, ad pacem æquis conditionibus ineundam paratum se demonstrans; Eo casu cum victor nudis victi verbis fidem habere nequeat, recte efficaciora & firmiora futuræ securitatis pignora exigit, nec pacem cum læso, antequam hæc consequatur, redintegrare tenetur. Interim cavendum, ne iuste securitatis desiderium ut prætextus adhibeatur, quo avaritia & vindictæ cupiditas obtegatur.

§. XXXIII.

Si vero læsus vel satisfactionem tempestive oblatam

D acce-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:gbv:3:1-244492-p0033-7

26 DISSERT. DE LIMITIBVS DEFENSIONIS  
acceptare recusat, vel in ejus exactione justum modum ex-  
cedat, quam nec bonorum virorum, sive mediatorum arbit-  
ratu temperari patiatur, sed vel ultionis desiderio, aut ob  
alias injustas causas bellum prosequi, humani generis tran-  
quillitatem turbare, suæque avaritiae, vel vindictæ tot homi-  
num sanguinem sacrificare velit, tunc dubitandum non  
est, justam defensionis causam à lœso in lædentem transfire,  
eumque omnia media, quæ ante lœso competebant, ad æ-  
quam pacem consequendam adhibere posse.

§. XXXIV.

Et tantum pro instituti nostri ratione de limitibus  
defensionis in bello defensivo Academica haccce disser-  
tatione breviter tradere volimus. Ut autem hanc  
in materiam fusius atque melius pertractari potuisse non ne-  
gamus: ita benevolum lectorum obnoxie rogamus, ut sicubi  
erraverimus, nobis ignoscat. Supremum vero Numen, De-  
um pacis & justitiae imploramus, ut cunctis Regibus, Prin-  
cipibus, rerum publicarum moderatoribus, & quorum illi  
confilii atque ministerio in republica administranda ut-  
tuntur, confilia justitiae & paci consentanea inspirent, quo  
functis, quæ Europam agitant bellis, quamprimum finis  
imponatur, & communis pax atque amicitia inter  
gentes educatur ac quam diutissime  
conservetur.

F I N I S.



*PER MAGNIFICO, GENEROSO, MAXIMEQUE  
STRENUO DOMINO,*  
**DN. ANDREÆ BORCKMANN,**  
Inclutæ Reipublicæ Gedanensis Präconsuli gra-  
visimo, insulæ Helensis Administratori & p.t. Consilii  
bellici Präfidi,

*nec non*

*MAGNIFICIS, GENEROSIS, MAXIMEQUE  
STRENUIS DOMINIS.*

**DN. DANIELI SCHLIEF,**  
**DN. JOHANNI ALBERTO**  
**ROSENBERG,**

eiusdem Reipublicæ Consulibus meritissimis,

*ut &*  
*NOBILISSIMO, AMPLISSIMO atque CONSULTISSIMO  
DOMINO,*

**DN. JOHANNI GODOFREDO**  
**à DIESSELDORF,**  
primariæ civitatis Gedanensis Dicasterii Seniori  
*splendidissimo,*

*Dominis, MÆCENATIBVS atq[ue] PATRONIS suis  
perpetuo obſervantia cultu atque obsequio prosequendis.*

*hanc dissertationem academicam*

*in grati animi pignus & devotissimi cultus tesseram  
humillime dedicat & offert  
DISSERT. AUTOR.*



MAGNIFICE,  
MAGNIFICI, GENEROSI, MAXIMEQUE  
STRENVI,  
NOBILISSIME, AMPLISSIME ATQUE  
CONSULTISSIME.

Domini MAECENATES æterno cul-  
tu prosequendi.



On sustinuisse hoc leve inge-  
nii mei monumentum sub  
GENEROSORVM & AMPLIS-  
SIMORVM NOMINVM VE-  
STRORVM auspiciis in publi-  
cum emittere, nec oculis VE-  
STRIS subjiciendo, gravissimas  
occupationes & curas, saluti Patriæ dicatas, ob-  
turbare; nisi & singulares me impulissent causæ, &  
firmissimam haberem fiduciam, id pro insigni VESTRA  
huma-

humanitate benigno judicio receptum iri. Etenim si grati hominis officium postulat, accepta beneficia grato recolete animo, eorumque a quibus ea accepit benignantatem qualibet occasione deprædicare, sin beneficiorum se non indignum reddere velit. Ego haud dubie criminis ingratianimi reus essem, si commodam occasionem publice, quantopere VOBIS MAECENATES MAXIMI obstrictus sum, contestandi, è manibus dimittem. Quippe tot VESTRAE beneficentiae & benevolentiae erga me extant documenta, dum studia mea adeo benigne promovere dignati estis, ut merito capropter omniconatu annitar, quavis ratione pietatem meam submissumque GENEROSORVM atque AMPLISSIMORVM NOMINVM VESTRORVM cultum demonstrare. Cum igitur constituisse, ante meum redditum in patriam, qualemque industriae meae exhibere specimen, id jam VOBIS MÆCENATES MAXIMI in grati animi pignus, & meæ in Vos observantiae testimonium, offerre & consecrare volui; humillime rogitans, ne pro solita vestra humanitate & erga studiorum cultores favore, hasce pagellas benevolis oculis aspicere, & benigne suscipere deditinemini. Equidem si VESTRAM benignantatem perpendo, de benevolâ acceptatione dubitare nequo; siquidem unicæ pietatis studio incitatus, hanc dissertationem

GENE-

GENESOSIS atque AMPLISSIMIS NOMINIBVS VESTRIS dicare ausus sum, quo cognoscatis VESTRAS MAGNIFICENTIAS beneficia non in immemorem contulisse, & quam submissa veneratione insignes VESTRAS virtutes præsertim periculis temporibus magis elucescentes prosequar, cum nec ego expertus sim, quantum VESTRÆ prudentiæ, vigilantiæ atque fortitudini patriæ debeat. Cum vero me jam semel in VESTRAM Clientelam recipere dignati estis, ulterius quoque MAGNIFICI atque AMPLISSIMI PATRONI, VESTRÆ benevolentia ac favori me submisse commendo, & ea, qua pars est, reverentia obtestor, ut hanc benignitatem, quam hucusque expertus sum, perpetuo mihi indulgetis, quod uti omni devotissimi cultus & obsequii genere demererri assidue contendam, ita supremum Numen ardentibus precibus invocare non desinam, ut VOS in seruos usque annos salvos ac omni prosperitatis genere florentes conservet, & patria Virtutibus VESTRIS in magnum emolumenntum quam diutissime adhuc frui queat.

Generosorum atque Amplissimorum  
NOMINVM VESTRORVM

devotissimus additissimusque  
Cliens & Cultor  
JOH. ERNESTVS MEVES.

*Doctissimo Autori hujus Dissertationis*

S. P. D.

JACOBUS FRIDERICUS LUDOVICI.

**R**EDDO Tibi, quam mihi obtulisti Dissertationem de limitibus defensionis in bello defensivo observandis, in qua pauca mutavi, pauca etiam eidem adjeci, ita ut nihilominus optimo jure Tua dici possit, cum non autor mihi fueris, ut ego eandem conscriberem, sed ipse illam proprio Marte, ad mentem meam tamen, conscripseris. Potuissent quidem facili negotio autoritates celeberrimorum virorum, qui in studio juris Naturæ inclarerunt, colligi iisdemque sententia Tua confirmari; verum in demonstrandis præceptis juris connati ejusmodi autoritatibus non indigemus, cum tam plana ea sint, ut quilibet iisdem facile assensum præbeat, qui veritatem sine amore rixandi atque contradicendi sincere querit. Qui vero sibi solus sapit, illi omnia du-

D 2

bia

bia videntur, etiam si quis, ut JCTi nostri in  
materia de testibus loqui amant, solem in  
manibus gestaret. Optime ad Leges soci-  
alitatis aliquoties provocasti, cum per ipsum  
bellum defensivum nihil aliud intendatur,  
quam læsæ illius socialitatis restauratio, &  
ergo Princeps, qui bellum defensivum su-  
scipit, omni cura in id incumbere debeat, ut  
brevisima via ad pristinam amicitiam res  
reducatur. Placeant aliis sua principia, qui  
in socialitate nostra nescio quid monstrosi, aut ne-  
fandi latere existimant; sufficit, quod illi ipsi dissentientes  
quotidie experiantur, se absq; hoc monstruo  
vivere non posse. Sufficit, quod Deus non sit autor  
belli, sed autor pacis, a quo obligatio juris natu-  
ræ proficiscitur. Quod reliquum est, dulcissimæ  
patriæ Tuæ, quam duabus vicibus non sine ju-  
cunditate videre mihi licuit, & ex qua SCHLIEFI-  
OS, ROSENBERGIOS, quos honoris causa nomino, a-  
liosque scholas meas frequentantes vidi, de Te, tam  
probo & eruditio civi ex animo gratulor, Tibi q; ipsi  
quælibet fausta sincere adprecor. Deus adsit conati-  
bus Tuis. Dabam ex Museo d. xix. Jun. MDCCVI.

Halle, Diss., 1706 (-Si)



SLB





Pra. 3. num. 23.

1706 May 5

DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> JURIS NATURÆ  
DE  
**LIMITIBUS DEFENSIONIS IN BELLO DEFENSIVO,**

Quam

DEO TER O. M. ADVENTE  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. PHILIPPO VVILHELMO,  
PRINCIP<sup>E</sup> BORVSSIAE, MARCHIONE BRANDENB.  
DVCATVS MAGDEB. GVERNATORE, CETERA,  
IN ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

**JACOBO FRIDERICO  
LUDOVICI,**

J. U. D. PROF. JUR. & FACULT. JURIDICÆ  
ADSESSORE,

Ad d. XXII. Jun. MDCCVI. H. L. Q. C.

Placido Eruditorum examini submitte

AVTOR

**JOHANNES ERNESTUS MEVES,  
GEDANENSIS.**



TYPIS CHRISTOPH. ANDREAE ZEITLERI, ACAC. TYPOGR.

16.

